



I. Abtheilung: Abhandlungen.

De initiis humilibus mirabilibusque per secula incrementis Cultus B. Mariae Virginis.

Disquisitio historico liturgica, auctore R. P. Domno Beda Plaine, O. S. B.

Prooemium. Similitudo cultus Christo exhibiti, et cultus ejus matri redditi.

Festa seu solemnitates annuae B. Virginis Mariae praecipuum hodie, ut decet dignitati Deiparae, post festa tamen Dei et Domini Nostri Jesu Christi tenent locum et ordinem in cyclo ecclesiastico. Nam unaquaeque quatuor aetatum anni pluribus diebus festis hujus generis ditata est et fere unusquisque duodecim mensium aliqua istarum festivitatum perfruitur. Quinimmo una ex septem hebdomadae diebus, sabbatum scilicet, eidem Virgini sacratur. Et tandem quod majus est tanquam magis assimilans creaturam Creatori, quidam cursus quotidianus, Parvum scilicet Officium, institutus est speciatim in honorem Reginae Coelorum eisdemque Horis parvis ac majoribus constat ac officium canonicum. Sicque pietas fidelium quotidianis laudibus magis ac magis prosequitur hanc creaturam insignibus supra omnes ditatam privilegiis, ut ejusdem opem seu misericordiam multiplicioribus precibus exoret et feliciter obtineat Porro ex una parte quis non hic miretur paternam Dei providentiam erga Christifideles, quibus isto modo benignissimam praebuit matrem? Quis non credat item istam aliqualem aequalitatem cultus Christo et Virgini matri exhibiti reputari posse tanquam maximum specimen externum filialis amoris, quo Christus Deus et homo hanc circumplectitur creaturam, quam prius a nihilo eduxit, ut postea ejus fieret vera mater? Nam Ecclesia Romana, ut omnibus notum est, nihil unquam tale instituit, seu auxit jam institutum nomine proprio, sed Christi ipsius nomine et auctoritate.

Unde talia instituta reputantur Christi instituta. Porro ex altera parte, isti eximii honores, quibus extollitur Virgo Maria, ipsum genus humanum mirifice condecorant, ejusdemque meliorem efformant gloriam, siquidem Virgo Deipara ex semine Adam orta, caro nostra est, osque de ossibus nostris.

Quocirca initia talis cultus, ejusdemque multiplicia incrementa enarrandi curam eo libenter suscipio, quo huic rei dans operam laudo ex una parte eam, quae omni laude digna, jure merito vocatur: „mater pulchrae dilectionis, et timoris et agnitionis et sanctae spei“¹⁾ dum insuper iis, qui eam elucidant, promittitur vita aeterna.²⁾ Ex altera vero parte taliter agens, bene mereor, ut spero, de mea familia religiosa, siquidem magnam habuerunt partem monachi Ordinis S. Benedicti sive in divulgando, sive in augendo cultum Virginis Deiparae.³⁾ Una solummodo res est lugenda, mea propria insufficientia sed confidens de adjutorio Dei, et de protectione materna ipsius Virginis Deiparae, in apertum campum prosilio, et primo aliquid dicam saltem balbutiendo tum de sublimibus muniis, quae adimplevit Virgo Maria in mysteriis redemptionis et salutis humanae, tum de genere speciali cultus, quo consequenter ipsa perfruitur et perfrui debet apud christifideles, qui sufficienter talium beneficiorum memores sunt et grati.

§ 1. De cultu hyperduliae, quo singulariter decoratur Virgo Maria.

Ecclesia catholica, cujus magisterium et doctrina ab omni erroris labe divinitus praeservantur, nunquam profecto professa est seu docuit, ut comminiscuntur haeretici, nunquam profitebitur seu docebit aliquam creaturam tanta excellentia insigniri posse ut ad mensuram Dei Creatoris sublimetur. E contra magistra veritatis asseruit et asserit, docuit, et docet distantiam esse infinitam inter eum, qui a sese et ab aeterno existit, et creaturas, quae a Deo e nihilo in tempore eductae, ab eo similiter acceperunt quidquid boni et excellentiae in eis invenitur. Hinc etiam consequenter eadem Ecclesia asserit et docet cultum patriae seu adorationis exclusive seu soli Deo reddi posse dum alicui ex creaturis propter excellentiam sanctitatis seu meritorum decernitur unice cultus Duliae seu servitutis. Verumtamen ista lege integre servata, idem cultus duliae ad gradum hyperduliae elevatur una tantum vice, et hoc non in favorem creaturarum angelicarum, bene vero in gratiam unius ex creaturis, quae ortae sunt ex Adam, sicut omnes

¹⁾ Eccli. XXIV, 24.

²⁾ Ibidem, v. 31.

³⁾ Confer. Bucelinum: Chronologia Benedicto-Mariana it. Ziegelbauer, Historia litteraria etc. t. 4, p. 170—185, item p. 396—399.

homines. Sed istud singularissimum privilegium non ei conceditur ratione propriae excellentiae, sed unice ratione vinculorum singularis affinitatis, quibus unitur haec creatura excellentissima unicuique personarum Sanctissimae Trinitatis De Virgine Maria loquor. Nam virtute privilegii incommunicabilis maternitatis divinae, quo singulariter sola insignitur, mater facta est in tempore et secundum carnem Verbi divini, quod etiam genuit in utero suo ante omnia seculo Pater omnipotens. Unde secunda persona Sanctae Trinitatis revera nuncupari potest et debet Filius simul Patris et Virginis, licet non sub eodem respectu et consequenter idem Verbum Virginem Mariam titulo matris decorat eamque dilectione, quae hunc titulum decet prosequitur et honorat sicut titulo Patris, et dilectione, quae decet hunc titulum, prosequitur idem primam personam Sanctae Trinitatis. Similiter cum ex una parte Verbum Dei vere et realiter de utero B. Mariae Virginis et non aliunde carnem sumpserit dum ex altera parte minima in hac re divinae ad fuerit virile consortium, quidquid gestum est, id unice obumbratione Sancti Spiritus gestum est. Idcirco Beata Virgo Maria vi tam ineffabilis mysterii facta est modo mirabili et ei soli propria, dilectissima Spiritus Sancti sponsa.

Insuper quod non minori admiratione dignum est, tam magnam partem habuit ista sine pari Virgo in opere Redemptionis generis humani ut auctor hujus redemptionis corpus suum non tortoribus tradiderit, sanguinemque suum tanquam pretium hujus redemptionis non fuderit quin adstaret juxta crucem Beata Virgo quasi co-redemptrix. Unde etiam consequenter eadem Virgo facta est quasi mediatrix secundaria inter Dominum nostrum Jesum Christum, qui est verus apud Deum Mediator seu Pontifex, et unumquemque fidelium seu christianorum, in eo quod est quasi aquaeductus gratiarum coelestium sine quibus christiani individuatim considerati nec a laqueis diaboli liberarentur, nec ad gaudia aeterna perducerentur.¹⁾

Quibus de causis totum genus humanum B. Virgini multum debet debitumque suum non potest digne solvere quidquid honoris et obsequii impendit tam benignissimae matri.

His elucidatis, clare patet modum agendi Ecclesiae Romanae erga Virginem Deiparam prorsus esse legitimum, cultumque hyperduliae, quo tam sublimem creaturam prosequimur, sanctum esse, omnique caractere idolatrico carere. Veruntamen in hac re quod addendum est ad confutationem haeticorum nostri temporis, et Lutheri eorum magistri, Ecclesia Romana nihil arbitrio suo seu praecipitanter egit, sed locum dedit voluntati Dei omnipotentis,

¹⁾ Confer. S. Bernardum 1^o Sermo de 12 Stellis, nr. 1, 2 et 3; 2^o Sermo de Nativitate Virginis, nr. 6, 7 et 8.

cujus providentia in sui dispositione non fallitur seu impeditur. Qua de causa prorsus humilia faerunt initia Cultus Virginis Deiparae. Aliis verbis cultus B. Virgini redditus inferior fuit saltem quoad pompam exteriorem per quatuor prima Ecclesiae secula cui quae tunc temporis gaudebant S. Joannes Baptista, Duodecim Apostoli ac etiam B. Stephanus protomartyr, ut videbitur in §. sequenti.

§ 2. De Cultu B. Virgini per quatuor priora Ecclesiae secula exhibito, et de motivis propter quae iste cultus remansit tunc temporis obscurus.

Ecclesia Romana ab ipso Principe Apostolorum fundata fuit tanquam divinitus prae electa ut esset et permaneret usque ad consummationem seculorum mater omnium ecclesiarum, magistra veritatis, centrum et vinculum unitatis catholicae. Porro ista Ecclesia sese profecto exhibuit ab initio suae foundationis totaliter devota cultui B. Virginis Deiparae, sequens exempla et instituta B. Petri sui fundatoris, testē Canone Missae ubi adest primo loco B. Maria Virgo Dei genitrix, testibus etiam sacris ejusdem imaginibus pictis seu sculptis, quae adhuc visuntur in cryptis et coemeteriis catacubarum¹⁾ testibus insuper et meliori titulo oratoriis in honorem ejusdem Virginis erectis saltem ab ineunte tertio seculo, si non antea.²⁾ Utrum vero in eadem Ecclesia Romana jam exstiterint ante quintum seculum una seu plures festivitates annuae et universali modo celebratae in honorem ejusdem Virginis Deiparae, dubitari potest, ut reor post Thomassinum³⁾ et alios Liturgistas seu Canonistas. Nam licet iisdem temporibus jam ubique celebrarentur festa istius generis in honorem S. Joannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Stephani Protomartyris et aliquot forsitan aliorum martyrum, nulla tamen ejusdem generis festivitas mihi apparet tanquam instituta in memoriam Virgini Deiparae. Si recurratur, verbi gratia ad Constitutiones Apostolicas, quae, licet falso S. Clementi Romano sint attributae, sexto tamen seculo sunt antiquiores, et nobis sat fideliter exhibent antiquum statum disciplinae liturgicae, non inveniuntur in istis post festa Domini,⁴⁾ nisi festa apostolorum, S. Stephani, et aliquot martyrum,⁵⁾ nihil vero de Virgine Maria. Similiter aliquot antiquissima asservantur Calendaria scilicet duo romana annorum 336 et 354⁶⁾ unum

¹⁾ J. B. de Rossi: *Imagines selectae Virginis Deiparae*, Romae 1855.

²⁾ Ecclesia S. Mariae trans Tiberim habetur tanquam antiquissima et fundatorem agnoscit S. Callixtum Papam (218—222).

³⁾ *Traité des Fêtes* p. 415 et alibi,

⁴⁾ *Constitut. Apostolicae*, v. I, 13.

⁵⁾ *Ibidem* VIII, 33.

⁶⁾ Eorum textus adest in *Prolegomenis Martyrologii Hieronymiani*, p. XLVIII et XLIX. T. 2 novembris Bollandiani, initio.

syriacum anni 412 vel circiter¹⁾ aliud Carthaginense seculi sexti ineuntis:²⁾ in quibus multae inscribuntur festiuitates Apostolorum et martyrum, nulla vero Virginis Deiparae.

Quinimo nullibi ante concilium Ephesinum inveniuntur sermones authentici Patrum vel homiliae, in quibus tractatur de aliqua solemnitate iam in honorem B. Virginis Deiparae instituta, quamvis iidem Patres aliquot sermones istius modi seu homilias ad populum habuerint de festis S. Joannis Baptistae, S. Stephani et aliorum sanctorum martyrum seu apostolorum.

Adsunt reuera aliquot traditiones particulares, iuxta quas Apostolus Iacobus frater S. Joannis Evangelistae erexerit Caesarangustae in Hispania unum Oratorium quod vocatur Nostra Domina de Columna seu del Pilar in honorem Virginis Mariae et Sancta Martha, hospita Christi idem Avenione praestiterit. De quarum et similium traditionum authenticitate seu falsitate, non est hic locus disserendi. Sufficit mihi animadvertere in his traditionibus non agi de cultu generali, ad quem spectat mea assertio, bene vero de cultu locali seu quasi individuali cujus antiquitas mihi non plane nota est. Idem dicendum est de invocatione, quam suppliciter obtulit Virgini Deiparae S. Justina martyr contra diaboli tentamenta³⁾ et de imaginibus ejusdem Virginis quae in variis locis eisdem temporibus venerationi publicae iam exponebantur.⁴⁾ Cur vero isto modo quasi occulto et non plane manifesto res gestae fuerint, non est difficile divinare? Quis enim non videt quod proponere indiscriminatim tanquam colendos cultu religioso veram Christi matrem et ejusdem Christi patrem nutritium seu etiam angelos, unicuique infidelium recenter baptizatorum, idem erat ac quemdam laqueum eorum pedibus indirecte parare ut de novo forsan in peccatum idololatriae inciderent, et assererent blasphemantes Deum Christianorum minime meliorem esse diis gentilium, siquidem ad eorum exemplar patrem ac matrem carnales haberet? Quae res de facto accidit, teste S. Epiphanio, qui inter haereticos sui temporis recenset sectam Collyridianorum iuxta quos thus et sacrificia offerri debebant Mariae tanquam Deae.⁵⁾

Caeterum idem periculum non incurrebatur per cultum exhibitum S. Joanni Baptistae seu Apostolis et martyribus, nam isti nihil aliud erant manifeste nisi familiares seu milites et famuli Domini Nostri Jesu Christi, pro quo martyres generose vitam et sanguinem profuderant. Unde Christus implicite in eorum persona colebatur.

¹⁾ Ibidem p. LII. LXIX.

²⁾ Ibidem p. LXX et LXXI.

³⁾ S. Gregorius Nazianzenus, Oratio 22, nr. XI.

⁴⁾ Consularum de hac re doctus presbyter De Lehuère (?): De antiquis imaginibus Virginis Deiparae, (Germanica lingua) Stuttgart 1884.

⁵⁾ Haeres. LXXVIII, n. 23, item Haeres. LXIX, n., et sequentes.

Concludatur ergo iste § asserendo quod licet B. Virgo Deiparae primum semper tenuerit locum ab incunabilis Ecclesiae in veneratione particulari seu interna Christianifidelium, nihilominus quoad cultum exteriorem, seu pompam dierum festivorum, eandem Virginem, per quatuor prima christianismi secula praecedebant Joannes Baptista, Apostoli et martyres, majoribusque laudibus extollebantur in publicis Christianorum conventibus. Res vero in melius mutata est, cursum inchoante quinto seculo, Reginaque angelorum et hominum ad primum locum, ut eam decebat, exaltata est: de quo loco in posterum nunquam descendit, sed magis ac magis de die in diem ad altiozem et sublimiorem gradum evecta est decursu seculorum.

§ 3. De Cultu Sanctissimae Virginis a quinto ad octavum seculum, et de institutione quatuor ejus festorum principalium.

Postquam ostensum est cultum B. Virginis, licet ab Ecclesiae primordiis incoeptum, permansisse tamen per quatuor secula quasi obscurum et forsitan inferiorem cultui, qui tunc temporis reddebatur S. Joanni Baptistae et aliquot aliis sanctis, accedimus nunc ad quintum seculum, in quo res in melius mutatae sunt, dictusque cultus primum sine dubio locum, ut Deiparam decebat, obtinuit. Ad quem effectum producendum multum indirecte valuerunt Nestorii blasphemiae et impia dogmata. Nam ut scitur, iste per-versus doctor ad id impietatis devenit ut B. Virgini pertinaciter denegaret titulum et munia Matris Dei. Cui impietati ut efficacius refragaretur populus Christianus, non solum voce et corde plausit definitioni dogmaticae concilii Ephesini, verum etiam ecclesias cathedrales et alias sub titulo et patrocinio Virginis Mariae statim erigi, festaque annua in ejusdem honorem celebrari coeptum est: in qua re duplici Roma et Occidens prima, ni fallor, dederunt exempla, quae Oriens sat fideliter et laudabiliter imitatus est.

Et primo quoad aedificationem dictarum ecclesiarum certum est Basilicam romanam S. Mariae majoris quae a Liberio pro prima vice erecta fuerat vix septuaginta annis ante dictum concilium Ephesinum, de novo et magnificentius constructam fuisse occasione hujus concilii, et definitionis dogmaticae de qua agitur.¹⁾ Unde deducitur hanc novam aedificationem non susceptam fuisse causa ruinarum reparandarum sed potius religionis erga Virginem Deiparam et pietatis causa. — Documenta authentica nobis deficient circa institutionem quatuor primorum festorum B. Virginis scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis et Nativitatis ejusdem. Hinc plures hagiographi seu historici audacter asserverunt eas

¹⁾ Liber Pontificalis, edition Duchesne, t. I, p. 232 et 235, nota 2.

initium habuisse in Oriente, et postea admissas fuisse in Occidente.¹⁾ Quae res maturiori examini subjicienda est.

Et primo agam de Purificatione et Annuntiatione. Qui vero pro Oriente quoad Purificationis festum pugnant, nituntur super quamdam narrationem chronographi Theophanis, cujus haec sunt verba: „anno quintodecimo Justiniani Imperatoris (Christi 541) in mense Octobri facta est Byzantii magna mortalitas, et eodem anno Hypapante Domini sumpsit initium apud Byzantium.“²⁾ Sed Theophanes loquitur solummodo, ut patet, de initio hujus festi apud Byzantios neque negat eam esse antiquiorem Justiniano tum in oriente tum apud occidentales. Quocirca alium testem adibo vetustiorum Theophane, supparem Justiniano et omni fide dignum scilicet S. Eligium Noviomensem, ut sciam quid de hac re opinetur. Nam auctor est ejusdem homiliae in ipso die Purificationis populo habitae, in qua sic loquitur explicite: „Vocabulum, fratres, solemnitatis hodiernae in vobis dicitur consuete: Purificatio S. Mariae.“³⁾ Porro si animadvertatur quod juxta auctorem hujus sermonis festivitas, de qua agitur, jam nuncupabatur in Gallia, ineunte seculo septimo Purificatio S. Mariae, et loquuntur Romani et non Hypapante, seu Occursus Domini, ut loquuntur Graeci, ex hac unica circumstantia jam solide eruetur eandem festivitatem non e Constantinopoli Romam sed revera e Roma tanquam ejus cunabulis in Gallias transiisse. Quae res non minus clare deducitur ex aliis verbis ejusdem oratoris, nam prosequitur: „Quia vero consuetudo ecclesiastica est ut hac die gestantes manibus lumina, Missarum solemnia celebramus breviter dicendum est quae sint hujus rei exordia.“⁴⁾ Et tunc narrat quomodo iste usus inchoatus est Romae ut aboleretur memoria festorum paganorum olim in honorem Februi, id est, Plutonis celebratorum et Lupercalia nuncupatorum.⁵⁾ Porro scitur auctorem hujus abolitionis fuisse S. Gelasium primum (492—496) ut patet ex quadam ipsius epistola authentica.⁶⁾ Quo rerum statu negari non potest dictam festivitatem Purificationis Romae non Constantinopoli inchoatam fuisse, et antiquiorem esse sexto seculo. Pauca nunc de Annuntiatione B. Virginis, quae celebratur octavo kalendarum Aprilium. Non video qua de causa prima hujus festi institutio Graecis ascribi possit, apud quos festa non celebrantur

¹⁾ Duchesne, *Ibidem* t. I, p. 381, n. 43. — *Origines du culte chrétien* p. 259 et ailleurs.

²⁾ Theophanes, *Chronographia mundi*, anno 6004.

³⁾ *Patrologia latina* t. LXXXVII. p. 597.

⁴⁾ *Ibidem* p. 602.

⁵⁾ *Ibidem*.

⁶⁾ Thiel: *Epistolae Romanorum Pontificum*, t. I, p. 603.

in toto tempore Quadragesimae.¹⁾ Aliquot equidem sermones seu homiliae de dicta festivitate attribuuntur S. Gregorio Thaumaturgo, S. Cyrillo Alexandrino, et aliis. Sed authenticitate carent ista scripta. Insuper vage solummodo loquuntur de dicta Annuntiatione seu potius de Incarnatione Christi, quin determinetur dies in quo coram populo habiti sunt isti sermones, quod esset tamen necessarium ad stabiliendam existentiam istius festi. Quinimmo prorsus silent de hac festivitate Constitutiones dictae Apostolicae, in quibus, ut jam dixi, enumerantur alia festa quae in quinto seu sexto seculis apud Orientales uniformiter celebrabantur. Adde quod prima mentio authentica apud Orientales dicti festi non apparet nisi in canone quinquagesimo secundo sexti concilii aecumenici Constantinopoli celebrati seculo septimo vergente ad finem. Iste canon taliter exprimitur:

„In toto tempore Quadragesimae, exceptis sabbato, Dominica et sancto Annuntiationis die fiet sacrum praesanctificationum ministerium^{4,2)} et considerari potest quasi derogatio canonis Laodicensis jam supra memorati. Denique negari non potest dictum diem octavum Calendarum Aprilium nondum esse sacrum seu festivum apud Orientales, ineunte seculo quinto ut certo eruitur ex martyrologio syriaco anni 412³⁾ dum res aliter iisdem annis sese habebant Romae et in Occidente teste S. Augustino, cujus hac sunt verba: „Ipsa perfectio Corporis Domini ducentis septuaginta sex diebus ad partum perducta comperitur.⁴⁾ Unde id sicut a majoribus traditum, suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas. Octavo enim Calendas Aprilis conceptus traditur in quo et passus⁵⁾ Ex quibus verbis non expliciter probatur, quod libenter fateor, hunc diem Calendarum Aprilium festivum jam fuisse in toto Occidente, vivente Augustino. Sed tamen ostenditur eundem diem tunc temporis jam ab aliis diebus discerni tanquam majori pietate dignum. Ac proinde, data aliqua occasione, verbi gratia, blasphemiarum Nestorii et definitionis dogmaticae Ephesinae potuit idem dies fieri festivus tali ac tali loco, praesertim Romae et in Italia, ubi canon Laodicenus jam citatus non ad litteram observabatur.⁶⁾ Resque de facto non aliter se habebant Ravennae circa medium quinti seculi, teste S. Petro Chrysologo, Episcopo Ravennae (435—450), cujus quatuor

¹⁾ Hac prohibitio facta est in Concilio Laodiceno (canone LI), quod fuit celebratum in Phrygia Pacatiana, circa annos 330—350.)

²⁾ Concilia (Mansi-Coleti) editio Lucensis anni 1747, t. VII, p. 1371.

³⁾ Confer istud martyrologium pro secunda vice editum in Prolegomenis secundi tomi Bollandiani mensis novembris.

⁴⁾ Alludit eximius Doctor cuidam opinioni medicorum, juxta quos conceptio activa mulieris parientis protrahebatur per novem menses et sex dies.

⁵⁾ De Trinitate, l. IV. nr. 9. — Patrologia latina t. XLII p. 894.

⁶⁾ Micrologus, c. 48.

exstant sermones pro objecto speciali habentes *Annuntiationem Mariae*¹⁾ non *Incarnationem Domini*²⁾ seu *Generationem Christi*.³⁾ quibus alii; dicantur sermones ab eo item Romae, seculo quinto exeunte, ut eruitur ex codice antiquissimo sacramentarii Gelasiani, in quo inveniuntur collecta, praefatio, et aliae precum formulae in *Annuntiatione S. Mariae matris Domini nostri Jesu Christi*.⁴⁾ Nam licet iste codex aliquas admiserit additiones Gelasio posteriores, eadem tamen additiones, demptis iis, quae ad Canonem quotidianum Missae spectant, videntur esse Gregorio primo antiquiores.⁵⁾

Scitur etiam quod Hispani, nimium scrupulosi facti observatores Canonis Laodicensi, de quo supra, decreverunt in concilio decimo Toletano anno Christi 656 habito, quod deinceps festum octavi kalendarum Aprilium non proprio die celebraretur propter Quadragesimae occurrentiam sed transferretur ad diem quintam decimam Calendarum Januariarum: Quae translatio indirecte favet meae opinioni ejusque certitudinem comprobatur: Nam nullum festum ut patet transfertur quin prius institutum fuerit, sedemque propriam obtinuerit. Verumtamen dictum Annuntiationis festum non videtur fuisse de praecepto ante dies Caroli Magni, siquidem omittitur in statutis S. Bonifacii, Germanorum Apostoli, in quibus inscribuntur tria alia Virginis festa,⁶⁾ et praecipue ejus Assumptio, de cujus origine nunc loquendum est.

Assumptionis festi initia.

Obscura sunt dictae festivitatis initia tum in Oriente, tum in Occidente.

Quoad Orientem asseritur pro prima vice, ni fallimur, a Nicephoro Callixto, scriptore decimi tertii seculi eam a Mauricio imperatore institutam fuisse exeunte seculo sexto, sed prima mentio certa non invenitur nisi in quadam homilia de ea ad populum habita a Modesto patriarcha Hierosolymitano (615—630).⁷⁾ Porro rebus sic stantibus, eadem festivitas inchoari debuit non in Oriente sed apud occidentales, et forsitan Romae. Nam jam adest in antiquioribus codicibus Sacramentariorum Gelasiani et Gregoriani.⁸⁾

Mihi tamen opponitur ultimus editor *Libri Pontificalis*,

1) Sunt sermones CXL, CXLII, CXLIII, CXLIV.

2) Sermo CXXI.

3) Sermo CXLV.

4) Sacramentarium Gelasium, liber secundus nr. 14. — Editio Wilson p. 169.

5) Vide probationes fusius productas de hujus Sacramentarii authenticitate in *Science Catholique*, août et sept. 1895.

6) Concilia (Mansi-Coleti) t. VIII, p. 312. — *Patrologia Latina* t. LXXXIX. p. 826.

7) Montfaucon: *Bibliotheca Coisliniana* p. 389.

8) Sacramentarium Gelasianum, lib. 2, n. XLVII. — Editio Wilson p. 193.

juxta quem mentio Assumptionis festi in dictis codicibus simplex est additio, ex usu Gallicano mutuata.¹⁾

Quae assertio mere est gratuita et multum improbabilis videtur, siquidem diversus est dies istius festivitatis in utroque ritu, scilicet dies quintodecimus Augusti apud Romanos, et dies decimus octavus Januarii apud Gallos. Diversae sunt itidem formulae precum, quibus utitur uterque ritus. Quae duae res non isto modo contigissent, si usus romanus e gallicano in hac circumstantia penderet: nam Ecclesia Romana hunc semper agendi modum tenuit praesertim in antiquis seculis nihil immutandi in consuetudinibus, quas ab aliis ecclesiis mutuabatur, verbi gratia in Rogationibus, quae in Gallia primitus institutae fuerant, et in hymnis ecclesiasticis, quos accepit a S. Benedicto.

Instat editor Libri Pontificalis audacter asserens ex una parte quod dictum Assumptionis festum in Angliam invehi debuisset a S. Augustino et ejus sociis, si jam annue celebrabatur apud Romanos vivente Gregorio, et ex altera parte quod non fuit inventum de facto.²⁾ Primae assertioni ego libenter adhaereo, secundam vero recuso quia fundamento et basi caret. Etenim dictus criticista, asserens S. Augustinum non invexisse de facto in Angliam festum, de quo agitur, nihil aliud affert in testimonium dictae rei quam haec verba cujusdam exemplaris martyrologii Hieronymiani, jussu S. Willibrordi episcopi Angli conscripti: „die XVI. Augusti, Nativitas sanctae Mariae.“³⁾

Ego vero animadvertens istam vocem: Nativitas seu Natale duplicem habere sensum in calendariis ecclesiasticis, — (nam indicare potest nativitatem secundum carnem ut in die 24. Junii, seu nativitatem coelestem et diem mortis ut in aliis sanctis) — sedulo inquisivi quid de hac re senserint Angli, currente octavo seculo. Nam si tunc temporis ista locutio: Nativitas S. Mariae Virginis, sumebatur apud eos in sensu Dormitionis, seu Assumptionis ejusdem, omni prorsus caret fundamento et totaliter ruit mei adversarii argumentatio. Porro audiatur de hac re primus testis omni fide et auctoritate dignus scilicet Venerabilis Beda. Ejus verba eo libentius profero quo apertius contradicit opinioni abbatis Duchesne circa sensum quo sumebatur apud Anglos ineunte octavo seculo, vox: Nativitas Sanctae Mariae. Sic enim loquitur in quadam homilia genuina cui titulus est: „de Nativitate S. Joannis Baptistae.“ Sancta per orbem Ecclesia, quae tot beatorum martyrum Victorias, quibus

¹⁾ Liber Pontificalis loco jam citato, item Origines du culte chrétien p. 259 et alibi.

²⁾ Liber Pontificalis, editio citata, t. I, p. 381, nota 43.

³⁾ Ibidem et recentius in Prolegomenis tomi secundi novembris Bollandiani [p. 106].

ingressum coeli meruere, frequentat, hujus tantum post Dominum nativitatis diem celebrare consuevit. Quod nullatenus sine evangelica auctoritate in consuetudinem venire credendum est.“¹⁾

Quid clarius desiderari potest relate ad usum Anglis proprium, de quo agitur? Nonne eruitur ex verbis tam explicitis quod apud eos tunc temporis duae tantum nativitates secundum carnem colebantur, scilicet Natale Domini et Natale S. Joannis Baptistae? Unde nullum erat aliud notum, ac proinde vox: nativitas S. Mariae Virginis insumebatur pro ejus natali coelico seu Assumptione. Res iterum probatur ex hymno ejusdem Bedae, cui titulus est: pro Natali Sanctae Dei genitricis.²⁾ Nam iste hymnus non pro objecto habet nativitatem temporalem B. Mariae, de qua nihil in ea dicitur, bene vero ejus praeclara extollit merita, sublimemque in coelis gloriam: quae duo directe referuntur ad Assumptionem Virginis, non ad ejus nativitatem secundum carnem.

Audiat secundus testis S. Aldhelmus, qui vixit paulo ante Bedam. Tractans de quadam ecclesia dedicata quinta decima die mensis Augusti sic se exprimit:

„Istam nempe diem, qua templi festa coruscant
Nativitate sua sacravit Virgo Maria,
Quam jugiter renovant Augusti tempora mensis
Dividitur medio dum torrens Sextilis orbe.“³⁾

Negari non potest praesertim post verba Bedae citati hic agi de festo Assumptionis Virginis Deiparae, licet nuncupetur ad instar Natalis aliorum Sanctorum Nativitas seu Natale: Nam nullo tempore et nullibi terrarum fuit celebrata Nativitas Virginis quinto decimo die Augusti mensis, bene vero in Septembri.

Insuper hic agitur non de festo recenti, sed de festo jam antiquo et vulgato: nam sic prosequitur poeta:

„Qui (dies) nobis iterum restaurat gaudia mentis
Dum vicibus redeunt solemnia festa Mariae
Et veneranda piis flagrant altaria donis,“⁴⁾

Porro ista insolita usurpatio nominis, et ista antiquitas dicti festi probant suo modo quod eadem assumptionis festivitas invehit debuit in Angliam a discipulis S. Gregorii, quin simul invehetur festum Nativitatis S. Mariae sed non necessario antequam istud ultimum jam Romae institutum fuerit in aliqua speciali ecclesia. Solummodo ex duabus istis festivitatis una erat nota apud

1) Homiliarum liber 2, XIV, initio. — Patrologia latina t. XCIV p. 210.

2) Ibidem p. 631.

3) Patrologia latina t. LXXXIX, p. 290.

4) Ibidem.

omnes et celebris et fuit allata apud Anglos, alia minori celebri-
tate gaudebat, et non fuit introducta apud Anglos nisi exeunte
octavo seculo, multis annis post Aldhelmum, Bedam et Willibrordum.

Rebus sic stantibus in errorem incidisse dictus Libri Ponti-
ficalis Editor convincitur et asseri potest cum omni certitudine
Assumptionis festum jam exstitisse apud Anglos tanquam antiquum
ineunte octavo seculo, ac proinde non ab aliis quam a S. Gregorii
discipulis illic invecum fuisse. Hinc etiam certum videtur eandem
festivitatem jam celebrem esse Romae, vivente Gregorio Magno.
Hinc etiam manet in suo vigore mentio de qua supra, in anti-
quissimo codice Sacramentarii Gelasiani contenta.¹⁾

Nimis forsitan prolixè de festo Assumptionis Virginis Deiparae
tractavi sed coactus eram necessitate erroris confutandi veritatisque
vindicandae. Nunc brevius loquar de festo Nativitatis ejusdem
Virginis.

Haec festivitas, non erat adhuc ubique recepta, ineunte
octavo seculo, ut superius ostensum est ex Aldhelmo et Beda.
Verumtamen jam Romae existebat, siquidem eam inveniensi insti-
tutam Sergius Papa (687—701) aliquali pompa et Litaniis ex-
ornavit.²⁾ A quo Pontifice instituta fuerat? Nescitur sed forsitan
a Gelasio seu etiam ante ejus Pontificatum, siquidem in codice
Gelasiano jam citato, qui sub respectu festivitatum Sanctorum
purus videtur ab omni interpolatione.³⁾ Mediante vero octavo
seculo eadem festivitas introducta fuit in Galliis et Germania,
jubente S. Bonifacio.⁴⁾ Utrum similiter ante Pontificatum Sergii
jam in Oriente celebrata fuerit eadem festivitas, plane incertum
est, siquidem primi Patrum Graecorum sermones seu homiliae,
quae tractant de eadem festivitate, auctores habent Sanctos Andream
Cretensem et Joannem Damascenum, qui tantum in seculi octavi
prima medietate floruerunt.⁵⁾ Hodie haec festivitas multum celebris
est in Oriente et gaudet Vigilia seu profesto sed ex recenti in-
stitutione.

Addendum est quod, octavo seculo exeunte, duae adhuc
aliae festivitates ejusdem Virginis Deiparae erant quasi generaliter
in nostro Occidente receptae, scilicet 1^o prima dies Januarii, in
qua simul commemorabantur circumcisio pueri Jesu, et partus
immaculatus Beatae Virginis.⁶⁾

¹⁾ De interpolationibus dicti Codicis Gelasiani alibi tractatum est, et mihi
videtur certum quod istae interpolationes non attingant substantiam dicti Sacra-
mentarii.

²⁾ Liber Pontificalis, Editio Duchesne t. I, p. 376.

³⁾ Sacramentarium Gelasianum, editio Wilson, p. 197.

⁴⁾ Statuta jam citata.

⁵⁾ Quatuor sunt sermones S. Andreae de ista festivitate, nempe 1, 2, 3 et
4 inter ejus opera; duo vero S. Joannis Damasceni scilicet 6 et 7.

⁶⁾ Fronto; Kalendarium Romanum, hac die.

2^o. Dies decima tertia Maii, in qua dedicata fuerat circa annum 614 cultui veri Dei in honorem B. Mariae et omnium martyrum vetus fanum Romae, quod Pantheon vocabatur.¹⁾

In Oriente etiam alia festivitas instituta est in honorem Sanctissimae Deiparae, S. Joseph, S. David, et aliorum Christi Parentum sed non videtur nono seculo antiquior: nam apparet pro prima vice in Calendario marmoreo seu Neapolitano.²⁾ De festo vero Immaculatae Conceptionis B. Mariae, quod in Oriente nono seculo antiquius est, tractabitur inferius.

Rebus sic dilucidatis circa primam institutionem principalium festorum Virginis Deiparae detegitur error Launovii, Tillemontii, Bailletii et eorum recentiorum sequacium, qui ex simplici conjectura asseruerant gloriam talis institutionis pertinere ad Orientem, dum revera dicta festa in Occidente prius fuerint instituta. Res aliter sese habent solummodo pro festo Immaculatae Conceptionis. Nunc accedo ad nonum seculum et ad consecrationem sabbatorum uniuscujusque hebdomadarum totius anni cultui speciali B. Virginis.

(Materia incepta porro tractatur et absolvitur.)

Die Martyrologien der Griechen.

Von P. Ildephons Veith, O. S. B. (Seckau).

(Fortsetzung zu Heft IV. 1896, S. 578—583.)

3. Abschnitt: Die Textüberlieferung.

Achtes und neuntes Jahrhundert: Für diesen Zeitraum vermögen wir nur Menologien in Form von Pericopentabellen nachzuweisen. — Cod. gr. 10 s. VIII/IX. Athos Dionys Evv Gregory p. 446. — Cod. gr. 48 s. IX. Paris Nat Evv Omont I, 8. Gregory p. 381. Omont Fac-Sim II, 9. Scholz Bibl kr R n. 5. Einzelne Excerpte aus diesem Men gibt Scholz N T I, 453 ss. — Cod. gr. 63 s. IX/X. Paris Nat Evv Gregory p. 380. Scholz Cur crit II. De codice Cyprio. Omont I, 9. Omont. Fac-Sim II, 9. Scholz N T I, 453 s.

Zehntes Jahrhundert: Das Menologium des Kaisers Basilius II. Unter den griechischen Menologienhandschriften hat vor allem jene grosse Berühmtheit erlangt, welche Kaiser Basilius II. Porphyrogenitus (976—1025) um das Jahr 988 anfertigen und von acht Künstlern mit 430 Miniaturen ausschmücken liess. Diese kostbare mit Gold und Edelsteinen verzierte Handschrift kam später von Constantinopel nach Mailand in den Besitz des kunst- und prachtliebenden Herzogs Ludovico

¹⁾ Fronto, p. 81.

²⁾ Assemani: Kalendaria, t. V, p. 500.